

stitutione, qua ipsi^a sorices culicesque nos superant, vegetari. Animus certe multa laborans inequalitate multaque vanitate ebrius periculose iactatur, desperate periclitatur^b, et si quando se ipsum, que rara avis est, respicit et collustrat, o bone Jesu! quam ipse spectaculum^c deforme monstrum, quam triste est! Verum hoc tutius auribus quam litteris deponemus. Si de domno nostro aliquid nosse desideratis, abiit ille in Carintiam suam, Carintiam ventris popinam, somnolentie culcitram, omnis denique dissolutionis, immo ut libere doloris voce utar, omnis perditissime vite singularem speluncam. De redituro si queritis, prima estas herbaque adolescens nobis illum revocabunt. Mandatorum vestrorum, quorum me fidum interpretem fore sperastis, ut ego tam felix quam studiosus executor fuisset! Verum quid egerim, nec ipse novi. Ita enim dubiis responsis me destituere, acsi Apollinis oraculum consuluissem^d. Claustum nostrum tolerabili statu gubernatur. In foro quid turbe sit, utrum annona cara ceteraque id genus, ecce vobis locupletissimum auctorem hunc ipsum qui venit. Nam et ipsum in illo grege numerant, qui ocio, cibo et alieno pascitur. Mei ipse officio pro tempore functus sum. Vestre modo partes restant, ut que apud vos gerantur, alterna mihi gratia innotescant. Val(ete).

30.

M(einhard) an G(iticlin?): entschuldigt sein langes Schweigen mit seiner vielfachen Beschäftigung und preist die Tugend und Gelehrsamkeit des Adressaten.

(1064 etwa Frühjahr.)

Cod. Paris. lat. 2903 fol. 58.

Domno fratri et unice dilecto G. M. plurimam salutem in Christo.

Binis abs te litteris obligatus, unis quibus mutue sponsonis pro virili parte fidem^a exolvisti, alteris quibus mecum sub nomine rupti federis iniuriarum egisti, intelligo tibi iam cum expensi eris summa pro sententia minime satisfieri, animum tuum expectatione quadam litterarii fenoris pendere. Veruntamen ut tam acrem et vehementem expostulationem tuam iustam esse sublata e medio

29. ^a) ipsa c. ^b) proiclitantur c. ^c) pectaculum c. ^d) consuluisse c.

30. ^a) fide c.